

NICOLAI COPERNICI

polum, & è conuerso in occulto hemisphærio, in quibus Sol motu diurno apparens, efficit dierum & noctium disparitatem.

Quæ sint umbrarum meridianarū differentiæ. Cap. VI.



Vnt & umbrarum meridianarū differentiæ, quibus alij Periscij, alij Amphiscij, alij Heteroscij uocantur. Periscij quidē sunt q̄s circumbratiles dicere possumus, circumquac̄ Solis umbrā sortientes. Et sunt iij, quorum uertex siue polus horizontis minus uel non amplius abest à polo terræ, quām tropicus ab æquinoctiali. Ibi enim paralleli quos attingit horizon, limites existentes semper apparentium uel occultorū, tropicis sunt maiores uel æquales. Ac proinde Sol æstiuus in semper apparētibus eminens, eo tempore gnomonum umbras quoquo uersum projeicit. At ubi horizon tropicos circulos tangit, fiunt & ipsi semper apparentiū, & semper occultorum limites. Quapropter Sol in solstitio pro media nocte terrā radere cernitur, quo momento totus signifer circulus cōuenit in horizonte, & confestim sex signa simul oriuntur, & totidē ex aduerso simul occidūt, & polus signiferi cū polo horizontis coincidit. Amphiscij, qui meridianas umbras ad utranc̄ partem mittunt, sunt inter utrumq; tropicū habitantes, quod spaciū prisci medium Zonam uocant, & quoniam per omnem illū tractum signifer circulus bis rectus insistit, ut in secundo theorema te Phænomenon apud Euclidem demonstratur, bis ibidem assumuntur umbrae gnomonum, & Sole hinc inde transmigrante, gnomones modo in Austrū, modo in Boream umbrā transmittūt. Ceteri qui inter hos & illos habitamus Heteroscij sumus, eo quod in alteram solummodo partem, hoc est Septentrionem mittimus umbras meridianas. Cōsuetuerūt autē prisci Mathematici orbem terrarū in septem climata secare, utputa per Meroen, per Sienam, per Alexandriā, per Rhodon, per Hellespontū, per mediū Pontum, per Boristhenem, per Bizantiū, & cætera p singulos parallelos, ad differentiā & excessum maximorū dierū. Umbrarū quoq; longitudinē quas in meridie sub æquinoctijs, ac utrisq; Solis conuersionibus per gnomones obseruarūt, & penes ele

modi

X